


In hoc volumine continentur Dissertationes sequentes.

- 1) Strudig de ululatu in sacris minervis. b.3
- 2) de sacris gentium in montibus Freytag. b.4.
- 3) Dohring de igne genitilium facto in praedictis sacra injuria. b.5.
- 4) Blum de Antropophore genitilium. b.2.
- 5) Berger de vocione deorum ex oppidis Abessinie b.5
- 6) Gebhardi de Gog et Magog. b.3.



N. 9.

B. C. D.

M A G N A M
E P H E S I O R V M D I A N A M

A C T O R . A P O S T O L . X I X . 28. & 34.


S V F F R A G I O S V P E R I O R V M
P R O L O C O

R I T V . A N T I Q V O O B T I N E N D O

D I E III . M A R C H A . R . S . C I S I C C X V I I I .

P. P.

M. IOAN. CHRISTIANVS POLCKE,
VRATISLAVIENSIS.




L I P S I A E ,
E X S C R I P S I T I M M A N E L T I T I V S .

MAGNAM
HISTORIAM DIANA

SALVATORES HISTORIUM
PROGESSO

JOAN CHRISTIANUS TOTCORI

EXCELSIOR LIBRARIA



Q. D. F. F. Q. E. F.
DISSERTATIO PHILOLOGICA
MAGNAM EPHESIORVM DIANAM
AD
ACTOR. APOSTOL. XIX. 28. & 34.
SISTENS.
CONSP E C T V S.

- §. I. Felicia religionis christiane auspicia ipso CHRISTO doctore tempore novi testamenti de predictat, duriora autem illa, que sub ethniciis adhuc imperatoribus experiri necesse habuit, fata merito deplorat.
- §. II. Veterem illum septem olim in Asia Minore celebrium ecclesiarum statum cum moderna earundem, quam sibi, vicissitudine paucis comparat.
- §. III. Occasione atque thema dissertationis, imo ipsam, quā pertractatur, methodum brevissimis indicat.
- §. IV. Conjecturas quasdam ac opiniones tam veterum quam recentiorum quorundam eruditissimorum virorum ipsis circa DIANÆ Eymologiam subortas satisit.
- §. V. Nonnulla DIANÆ nomina & cognomina in medium affert.
- §. VI. Peculiare illud APTEMIΔΟΣ nomen à Græcis olim ipsi

A 2

tri-

tributum, & a D. LVCIA hoc in loco retentum, speciatim declarat.

§. VII. Aliud adhuc ejus cognomen, quod scilicet ΠΟΛΥΜΑСТОΣ seu MVLTIMAMMIA fuerit, expendit.

§. IX. EPHESINÆ urbis varia encomia, antiquitatem, mercature, literarum & virorum eruditorum olim in illa celebrium laudem, magis item & idolatriæ studium, nec non ejusdem permagnam ob concilia illuc quondam habita nominis celebritatem tradit.

§. X. IX. Famosissimi illius penes eam olim in honorem hujus DIANÆ exstructi templi descriptionem succinctam ex PLINIO potissimum haustam exhibet.

§. X. Simulachri hujus ΔΙΟΝΕΤΕΣ habiti debitam quoque mentionem inspergit.

§. XI. In primos & templi & simulachri hujus conditores, dubios admodum, inquirit.

§. XII. Diversitatem nominis prefec̄to edificii a variis aucto-ribus ipsi tributi notat.


§. XIII. Feralem ac totalem illam ex mente HEROSTRATI & templo & simulacro huic frustra licet intentatam conflagrationem ob oculos ponit.

§. XIV. Quibus aucto-ribus, & quo architecto templum istud pri-
stino suo nitori fuerit redditum, disquirit.

§. XV. Exceptatissimam demum istiusmodi superstitionis & ido-
lolatriæ per predicationem Evangelii a PAVLLO ejus-
que sociis inter EPHESIOS factam catastrophem pluribus
commemorat.

§. XVI. In promissō continuande hujus materiae definit & dupli-
cit tandem voto concludit

I. Sacras



I.



Acras evolentes novi fœderis paginas
in signi omnino animi voluptate ac
divina plane latitia perfundimur,
quando in iisdem animadvertisimus,
optimum generis humani salvato-
rem CHRISTVM, dum post suum
in hunc mundum ingressum in di-
versis terrarum plagis inter varios
quoque homines obambularet, eā gavissimū fuisse felicitate,
ut salutarem illam ac salvificam cœlestis æternæque verita-
tis doctrinam, quam ubivis prædicabat, omniumque menti-
bus sedulo inculcabat, quam plurimi statim agnoverint, eam
que maximo cum desiderio apprehenderint, atque in sui
ulsum & commodum verterint, ita ut vix ac ne vix quidem
mirari subeat, post auspiciatissima hæc religionis christianæ
jacta disseminataque fundamenta eandem postmodum in-
dies majora eaque amplissima augmenta & incrementa fa-
cili negotio capere, nomenque incomparabilis hujus magi-
stri ob tot tantaque ab ipso insimul hinc inde patrata mira-
cula in remotissimas longe regiones, provincias & maximas
civitates transire potuisse. Verum enim vero non diu adeo
hæc ipsa felicitas ecclesia primitiva constituit integraque man-

sit, scilicet cum passim adhuc ethnici Imperatores multique alii christiani nominis hostes insensissimi supereressent, aut alii rursus in eorum locum succederent, ac de novo quasi iterum exsurgenter, qui præ nimio superstitionis suæ amore ac idololatriæ intempestivo zelo eo furoris vesaniaque progre diebantur, ut igne atque ferro omnem religionem christianam, inani licet consilio & ausu, exterminatum iri ac prorsus extirpari posse fibi persuasum haberent, modo tot certe numero christianorum myriadibus, & inter hos tot sanctissimis constantissimisque fidei suæ confessoribus ac martyribus, inter truulentissima quævis & atrocissima suppliciorum atque exquisitissimorum cruciatuum genera ob christianam, quam corde firmissime amplexabantur, atque ore quoque liberrime profitebantur, doctrinam, mortem tamen acceptissimam subeuntibus violentas inferrent manus. Nec multo post singulari prorsus divini numinis providentia atque beneficio factum est, ut talis rabies & immanis furor paullatim iterum succumberet, multique ipsorummet crudelissimorum antea persecutorum legi atque disciplina christianæ fere submitterent, adeoque ferale illud mortis instrumentum, crucis videlicet signum, non amplius tanquam insigne & sumnum ornamentum coronis, quibus martyrum capita condecorari, vel, si naves, dehonestari arbitrabantur, superponeretur, sed successu temporum dirissima illæ persecutio nes penitus tandem desinerent atque cessarent.

II.

Et sane quis quæso est, quem lateat, ad quem felicitatis gradum per venerint præstantissimæ illæ septem, totoque quondam orbe celebratissimæ Asia Minoris civitates, PERGAMVS videlicet, THYATIRA, SARDES, PHILADELPHIA, LAO DICEA,

DICEA, SMYRNA atque EPHESVS, cum nimirum in his omnibus atque singulis apostoli aliquie fidelissimi eorum parafratæ ecclesiam CHRISTO sacram conderent, cultumque ipsi debitum instaurarent; unde quoque est, quod omnium certe evangelistarum divinissimus JOHANNES in apocalypsi sua mysteriorum omnem captum humanum transcendentium undiquaque plenissima & prioribus quidem capitibus purissima evangelii luce uberrime easdem jamjam collustratas Spiritus S. literis ipsi in calatum dictatis salutare ac compellare dignatus fuerit. Sed, eheu! quantam postmodum injuria temporum passæ sint vicissitudinem, adeo ut hodierni harum urbium incolæ sub crudelissima Ottomannici regni tyrannie ingemiscere necesse habeant, nec ullam pristini splendoris majestatisque speciem istæ memorataæ urbes amplius praeserant ac exhibeant, id, inquam, argumentum celeberrimus Anglus, ecclesiæque suæ apud Oxonienses Presbyter nobilissimus, THOMAS SMITH, a) harum calamitatum ipsis jam communium haud ita pridem testis *αἰτίοις*, data opera & summa cum industria pluribus est persecutus. Nec instituti ratio permittit miserandis illis ac tristibus carundem satis satis diutius immorari, sed ad ipsum, quem mens mea sibi prefixum tenet, scopum jam mihi proprius est accendendum.

- a) Laudatissimus hic vir anno superioris deumnum seculi septuagesimo primo ex Anglia in orientis aliasque ipsi finitimas regiones suscepititer, atque in Asiam Minorem quoque deveniens tam naturalem siuim atque conditionem harum septem haec tenus recensitarum urbium, quam etiam alia *αἰτίοις* & memorabilia, in primis varia antiquitatis *λέξισαι* & ruderæ, quæ suis oculis ipsi adhuc usurpare licuerunt, diligentissime annotavit, atque ea omnia deinceps post suum in patriam feliciter.

felicem regressum sub Titulo: *Epistola quatuor, quarum duas de moribus ac institutis Turcarum agunt, duas postremas vero septem Asiae ecclesiarum & Constantinopoleos notitiam continent*, Oxonii 1674. 8. in reipublica literaria emolumendum publici juris fecit, quam tamen postremam septem Asiae Ecclesiarum & Constantinopoleos notitiam separatim denuo nitidissimis typis eaque emendatiore longe editione Trajecti ad Rhenum 1694. formâ octavâ, quam dicunt, majori exprimi curavit, ex quâ quivis facile cognoscet, modernum harum septem ecclesiarum infortunium optimo Viro tantæ curæ cordique fuisse, ut sibi temperare non possit, quin circa finem opusculi istius elegantissimi hæc insuper adjiciat verba, iisque quasi concludat: *Quanta barbaries & infirmitates Asiam Minorum hodie obruant, quam vili habitu sit illuc CHRISTIANISMUS profectus, & quanta somnia ac deliria impurissimi & vilissimi impostoris ibidem vigeant, ipsa rei veritate proh dolor! latis comprobatur.*

III.

Ex his itaque commemoratis septem Asiae Minoris urbis solam impræsentiarum EPHESVM in publicam quasi scenam producere, tuoque, LECTOR BENEVOLE, conspectui ac judicio exactissimo submittere apud animum meum constitui, ut exinde, in quantum celebris hac civitas olim DIANÆ sacris ejusque cultui inhiaverit, ac quomodo tota fœse ipsi consecraverit, aliquâ ratione innotebeat. Circa hanc autem, quam nunc pertractandam in me suscipio, materiam ita versari licebit, ut præente & viam quasi monstrante ipso viro ^{Georgio} Actuum scilicet Apostolicorum Scriptore, quem DIVVM LVCAM esse uno omnes ore fatentur, ex Cap. XIX. v. 28. & 34. intempestivum illum ac inconditum & semel iterumque à populo repetitum clamorem, quem in isto in PAVL. LI aliorumque suorum assecularum, Evangelium CHRISTI ibidem

ibidem prædicantium, ignominiam & persecutionem DEMETRIVS, seditionis quidam civis, excitabat, paullulum perpendere, hujusque tumultuantis ad instar vociferationis occasione ipsam quoque DIANAM, varia item ejusdem alia nomina & cognomina, ipsam insuper EPHESVM, templum insimul & simulachrum, utrumque in honorem DIANÆ exstructum, & istius antiquitatem ac feralem conflagrationem, & quæ postmodum eam subsecuta fuerint fata, ex antiquissimis historiarum profanarum æque ac ipsis literarum sacrarum monumentis in medium afferre, ac rudi saltim Mi-
nerva exponere sit animus. Antequam autem huic operi me accingo, Deum ter optimum terque maximum eumque longe clementissimum, qui olim gentibus ac populis universi terrarum orbis in sanctissimo suo verbo voluntatem suam de vero numinis sui cultu quam luculentissime mani-
festavit, ejusque licet unicam, sufficientem tamen in eodem normam præscripsit, & cuius omnes provinciæ ac regiones hujus universi per apostolos aliasque fideles emissarios & nuncios certiores factæ sunt, ardenter precibus, ut hanc quoque qualemunque opellam in sanctissimi sui nominis gloriam benignissime evenire jubeat. Quod super est, à te, LECTOR BENEVOLE, eâ, quâ par est, mén-
tis observantiâ itidem quantò faciliorem, tantò promptiorem ac benigniorem censuram de hoc exiguo conatu literario & specimine academico humanissime expeto, exposco, & quam certissime mihi quoque abs te polliceor.

IV.

Primo igitur loco hic dispiciendum erit, cum hinc inde & veteres & recentiores in tradendâ, seu verâ atque genuinâ, DIANÆ etymologia mirum in modum fluctuare, & ne-

B

ficio

scio in quam opinionum diversitatem atque dissensum abi-
 re deprehendas, quorum conjecturas, unde scilicet DIANÆ
 nomen ortum suum traxerit, brevissimis attingere, & quo
 nitantur fundamento, pro virium tenuitate sollicitius quo-
 dammodo investigare operæ pretium factorum esse existimo.
 Ex antiquioribus in primis nominandus venit vir consularis
 & illustris AVRELIVS THEODOSIVS MACROBIVS, a)
 qui NIGIDII FIGULI, obseuri coeteroquin auctoris, testi-
 monio multum tribuens, DIANAM atque JANAM, id est,
 DIVAM quasi JANAM, unam eandemque inter se constitui-
 ere, & paria veluti facere non dubitat, literamque D ornatus
 atque elegantiæ tantum causa superadditam suisse autumat,
 quam suam sententiam exemplis aliorum vocabulorum red-
 ditur, redhibetur, redintegratur, &c. comprobare satagit, at-
 que insuper auctoritate, MARCI VARRONIS, b) hoc suum
 assertum tueri allaborat. Nec illa tantum vocis DIANÆ
 ambiguitas, vel potius subobscurum admodum etymon apud
 antiquiores occurrit scriptores, verum etiam inter recentio-
 res inveniuntur, qui dubitanter admodum de ejus origine lo-
 quuntur, atque in hunc inibi censem venire videtur in hoc
 studiorum genere alias facile princeps & summus vir, GER-
 HARDVS JOHANNES VOSSIVS, c) qui ex DEA & JANA
 hanc DIANÆ vocem in unam coaliuisse affirmat, & ob eam
 causam primam ejus syllabam modo produci, modo corripi
 sibi pervalum habet. Gravissime autem ulterius idem VOS-
 SIVS in duobus istis inferius allegandis locis in illos invehitur,
 qui DIANAM eam ob causam ita dictam suisse velint, quod
 per noctem lucens hominibus alterum penè diem faciat: quique
 patrocinium cause sua apud MARCVM TVLLIVM CICE-
 RONEM, d) romanae eloquentiæ florem ac instauratorem,
 felici-

felicissimum, & qui eum ~~vel~~ ^{et} sequitur, JVLIVM FIR-
 MICVM MATERNVM, e) quāsiverunt & invenisse credide-
 runt. Ino nostro demum āvo atque memoria ante duo-
 decim tantum & quod excurrit annos novam plane DIANÆ
 etymologiam constituere annis est vir de republicā litera-
 riā immortaliter meritus, & Benedictinorum, quā a congrega-
 tionē S. MAVRI nomen habet, societati, hodienum Lute-
 tiæ Parisiorum florentissimæ, adscriptus, incomparabile non
 tantum ordinis sui, sed totius quoque Gallia eruditæ adhuc,
 quantum constat, decus, BERNHARDVS de MONTFAV-
 CON, f) expressis verbis de ea afferens: *Vox DEANÆ* (per
 quam DIANAM vult intelligere) à Græco ΔΕΑΙΝΑ *confecta*
est, & DEAM significat. Et paulo post quoque templum ali-
 quod antiquum VENERIS SALLVSTIÆ cognomen gerens
 exhibet atque describit, in quo statuæ cuidam talem inscripti-
 onem subiectam sūisse observavit: VENERI FELICI SA-
 CRVM SALLVSTIA HELPIDVS DD. Circa quod duplex
 assertum statim adversarium sat acerrimum, haud incelebrem
 Italum, FRANCISCVM FICORONIVM, g) nactus, qui plu-
 ribus ob id eundem corrigit, atque demonstrat: DÉANAM
 in quam plurimis venerandæ antiquitatis *verba* & reliquis
 pro DIANA occurrere, SALLVSTIAM vero in illa à MONT-
 FAVCONIO antea allegata inscriptione non cognomen DIA-
 NÆ esse, sed illam ipsam matronam, quā statuam hanc VENE-
 RI FELICI dedicasset. Verum & FICORONIVS suum rur-
 sus hac in re expertus est antagonistam, qui itidem publico
 scripto ipsi sese opponeret, atque is ipse, quod mirere, ejus-
 dem fidei atque nationis socius extitit, monachus nimirum
 quidam Benedictinorum congregationi Casinensi addictus,
 ROMVALDV RICCOBALDV, h) qui egregie partes illu-

flris MONTFAVCONII tueri, & contra illatam veluti ejus sententiæ a FICORONIO injuriam vindicare studuit, existimans, non adeo prægnantem causam atque rationem habuisse FICORONIVM, cur ita MONTFAVCONIO exprobaverit derivationem DEANÆ AΠΟ ΔΕΑΙΝΗΣ, dum illam sensus inscriptionis superius visæ ita postulet, neque alii viri docti ilium alias repudient; SALLVSTIÆ vero nomen matronæ eisdam statuam, in quâ invenitur, dedicantis, esse posse largiri ipsum MONTFAVCONIVM in præfatione Diario suo Italicu[m] præmissâ, quam forte non perlustraverit FICORONIVS, cum nec in erroribus post præfationem neglexerit, SEMONI pro SIMONI in alia inscriptione legendum lectores suos commonescere, quemadmodoum diligentissimi ac laude mea longe majores ACTORVM ERVDITORVM, i) quæ Lipsiæ adhuc latino sermone publicantur, COLLECTORES de hac illustri satis controversia tale judicium accuratissimum interponere nulli dubitarunt.

- a) Saturnaliorum Lib. I. Cap. IX, edit. Lugd. Batav. 1670. 8. pag. m. 226. b) Dere rusticâ Lib. I. Cap. XXXVII. & de Lingvâ Latinâ Lib. VI. c) Institutionum Oratoriarum Lib. IV. Cap. I. operum Tom. III. pag. 142. b. & in Aristarcho suo five de Arte Grammaticâ Lib. II. Cap. XIII. operum Tom. II. pag. 68. a. b. & eodem libro Cap. XVIII. pag. 79. b. Amstelod. 1697. seqq. in fol. conjunctim editorum. d) De Naturâ Deorum Lib. II. e) in libro de errore profanarum religionum, quem MARCI MINVCHI FELICIS OCTAVIO illustris doctrinæ ac immortalis memorie vir JACOBVS GRONOVIUS ex rectione suâ ad calcem adjecit edit. Lugd. Batav. 1709. 8. maj. pag. m. 483. f) Interalia scripta doctissima, quæ in publicam hactenus emisit lucem, elegantissimum illud opusculum non insimum meretur locam, cui titulum fecit: *Diarium Italicum, sive Monumentorum veterum, Bibliothecarum, Mu-*
seorum

seorum &c. noctis singulares in itinerario italicico collecta, aditisschematicis ac figuris, à R.P.D.BERNHARDO de MONTFAVCON, Monacho Benedictino Congregationis S. MAVRI. Paris. 1702. 4. formā, ut vocari, majori excusum, ubi pag. 223. seqq. superius adducta habentur, & conferri merentur. g) Hic ipse peculiare quoddam schediasma, italicico idiomate conscriptum & speciatim contra MONTFAVCONII Diarium Italicum directum, talem prae se ferens titulum evulgavit: *Observazioni di FRANCESCO de FICORONI sopra l' antichità di Roma &c hoc est, FRANCISCI FICORONI observationes ad antiquitates romanas, quas in Diario Italico anno 1702. edito descripsit R. P. D. BERNHARDVS de MONTFACON*, cui in fine multa adjiciuntur singularia sub ruina antiquitatis nuper detecta. Romæ 1709. 4. aliquot tantum plagulis constant. h) Vernacula hiē itidem lingvā defensionem MONTFAUCONII in se suscepit sub titulo: *Apologia del Diario Italico &c. id est, Apologia Diarii Italici R. P. D. BERNHARDI de MONTFAVCON, Monachi Benedictini Congregationis S. MAVRI contra observationes FRANCISCI FICORONI facta a P. ROMVALDO RICCOBALDO, Monacho Benedictino Congregationis Capucinissi. Venet. 1710. 4. maj.* i) Utriusque libelli & à FICORONIO & ROMVALDO editorum excerpta à laudatissimis ACTORVM ERUDITORVM COLLECTORIBVS in iisdem cum orbe eruditio communicantur, & FICORONII quidem excerptum anno 1710. mense Martio pag. 114. seqq. ROMVADIL vero itidem excerptum anno 1712. mense Septembri p. 396. seqq. apparel.

V.

Allatum haec tenuis tam veterum quam recentiorum quorundam celeberrimorum virorum circa DIANÆ denominandi rationem dissensum, ut impeditam satis, subobscuram atque dubiam rem, nunc quoque excipiant varia nomina & cognomina, quibus DIANA olim ornata atque condecorata fuit.

B 3

Eaque

Eaque ampla admodum hic sc̄e eorundem offert copia; nam pro diversitate officiorum, quibus cultores ejus eam fungi arbitrabantur, diversa item ac distincta nomina hinc inde apud scriptores ipsi tributa observare licet, ex tanto tamen eorum numero aliquot saltim ad institutum præsens in primis facientia feligere, & proferre placet. Sub LVNÆ autem potissimum nomine DIANAM indigetatam ac designatam suis se vetustus AVTOR Scholiorum in ARISTOPHANEM a) luculenter satis testatur, quando dicit: *Quod Persa, cum bellum olim toti Gracie intulissent, & cum classe mille numero navium ad Delum jam in appulissent, non ausi fuerint quidquam vel in Delo vel Ephesi violare, propriea quod à Delius SOL, ab Ephesio vero LVNA coleretur.* Nec est, quod dubites, ad DIANAM hanc, prouti triformaliter sæpius quandam efformabatur aut pingebatur facie, LVNAM nimirum vel crescentem, vel plenam vel decrescentem denotante, respicere OVIDIVM b) ita canentem:

*Nec par, aut eadem nocturne forma DIANA
Eff̄e potest unquam, semperque hodierna sequente,
Si crescit, minor: est major, si contrahit orbem.*

Porro LVCINÆ nomen sibi promeruit, eo quod obstetricis munere gaudere, & parturientibus auxilio suo subvenire apud veteres gentiles credebatur, quam ob causam observante ELIA SCHEDIO c) a Græcis specialiori adhuc, *et aethereas* scilicet, nomine insignita fuerit. Et quem fugit, DIANAM hanc, cum matri sua in partu APOLLINIS obstetrices quoque manus attulisset, atque hac ratione dolores parturientium vidisset, à patre suo JOVE æternam virginitatem atque nominum multitudinem sibi expetiisse, cuius rei nobis auctor est insignis Pocta

eta CALLIMACHVS eam sequentibus ipsum JOVEM allocu-
torem versiculis introducit:

Δός μοι παραθενίην αἰώνων θύσσας Φυλάσσεν,
Καὶ πολυπορεύεσθαι.

Quemadmodum hoc ex ejus hymno, quem in hono-
rem DIANÆ conscripsit & reliquit, notissimo vir magna ad-
modum fama & doctrina, ISAACVS CASAVBONVS, d)
excepit ac ulterius illustravit. Præterea quod sub VENA-
TRICIS, TRIVIÆ item aliisque adhuc nominibus veteribus
innotuerit, res est notissima, quare perplura adhuc talia ejus
cognomina atque titulos hic exhibere & quasi cumulare
nec luctet nec vacat, cum in iis recensendis ac ulterius per-
sequendis omnes omnino scriptores, qui mythologias atque
theogonias veterum deorum dearumve contexuere, otium
mihi faciant, atque prolixum certe ejusmodi cognominum
catalogum cuivis, cui hos inspicere ac perlegere volupe est,
suppedimenta & exhibeant, quapropter, ut ad alia inoffenso pe-
de eo melius progredi possim, hac in re mihi quodammo-
do properandum videtur.

a) In Comedia, quæ εἰρήνη sive pax inscribitur. b) Metamorphos. Lib. XV. c) De DIs germanis editionis Amstelod.
1648. 8 pag. m. 164. d) In exercitationibus de rebus sacris
& ecclesiasticis ad annales CÆSARIS BARONII, Cardinalis,
exercitatione XIV. edit. Genevens. 1663. 4. pag. m. 289.

VI.

Inter Græcos autem peculiare plane atque maxime so-
lenne id ipsi nomen fuit, quod APTEMIS appellaretur, cuius
denominationis rationem talem exhibet STRABO a) quod
illa n̄rem tunderet currendo, atque idem ille DIANA atque
APOLLINEM APTEMIDAS cognominatos fuisse ideo, quod
aerem

aërem salubre faciant, sequentibus ibidem verbis ulterius
 observat: APOLLO enim salutifer est, & ARTEMVS ex eo
 dicitur, quod integros faciat. SOL quoque & LVNA his simi-
 les sunt, quod causa sunt temperie aëris & pestis, ac sponta-
 neas mortes his applicentur. In quod etiam argumentum
 medicus celebris famæ ac insimil historicus Cæsareus ma-
 gna suo tempore auctoritate conspicuus, WOLFGANGVS
 LAZIVS, b) pluribus inquirit. Imo secundum PLATO-
 NEM ejusque interpretem felicissimum MARSILIVM FICI-
 NVM APTEME dicta arbitratur, quod integra modestaque
 quasi fuerit propter virginitatis electionem. Verum enim
 vero præ exercitii praeconii, quibus inter Græcos honoraba-
 tur, præ primis ille ipsi acceptus fuit titulus, quod H. ΜΕΓΑ-
 ΛΗ ΘΕΑ, MAGNA DEA, ut plurimum nuncuparetur. At-
 que hujus rei præter profanos auctores testis locupletissi-
 mus est ipse S. LVCAS, accuratissimus longe Actuum Apo-
 stolicorum scriptor Cap. XIX. v. 28. & 34. quippe qui in hoc
 allegato loco ac in duobus istis versiculis insolitus illum an-
 tea, ac a DEMETRIO tantum, ut jam superius dictum, in in-
 fima populi multitudine excitatum clamorem: ΜΕΓΑΛΗ Η
 ΑΡΤΕΜΙΣ ΕΦΕΣΙΩΝ, MAGNA EPHESIORVM DIANA, plus
 simplici vice ingeminatum ac repetitum literis consignare,
 ac ad posteritatem transmittere neutiquam prætermisit.
 Quo ipso certe venerationis cultusque judicium procul du-
 bio est colligendum & desumendum, quodque in subsequen-
 tibus adhuc pluribus commemorandum erit. Nam inter
 omnes constat, apud gentiles olim, Græcos æque atque Ro-
 manos, magnum jamjam habitum fuisse discriminem inter deos,
 dæmones & heroes, deos iterum distingentes in magnos,
 medios

medios & infimos, & sic porro, unde est, quod duodenarius
ille deorum dearumve numerus sequenti versiculo inclusus:

JVNO, VESTA, MINERVA, CERES, DIANA, VE-
NVS, MARS,

MERCVRIVS, JOVI, NEPTVNVS, VULCANVS,
APOLLO,

quos omnes atque singulos deos, deasque item ΜΕΓΑΛΟΥΣ
MAGNOS dixerunt, religioso inter Græcos ritu fuerit pro-
secutus, atque inter deas istas locum haud ultimum APTE-
MIΣ quoque occupaverit. Quam ob rem, ut loquitur sum-
mns hodie sacrorum apud Islebienses antistes, atque præ-
sul meritissimus, SALOMON DEYLINGIVS, c)H ΜΕΓΑΛΗ
ΘΕΑ, MAGNA DEA etiam potuit nominari, quia inter ma-
gnos deos, quemadmodum vetusti auctores tradunt, numera-
batur: ac insuper ibidem adhuc hæc quoque superaddit:
ob hanc fortassis causam, quod permagna ejus templi celebri-
tas esset, & EPHESIÆ DIANÆ numen potentia & dignitate
cæteris diis antecellere putabatur. Ast adhuc alium quoque
hujus denominationis ortum atque occasionem subesse faci-
le intelligitur, si perpendatur MAGNI appellationem jam olim
iis portissimum propriam ac concessam fuisse, qui rerum ge-
starum amplitudine clari atque insignes evaserunt. Reges
autem præcipue, deos suos ut plurimum imitantes, MA-
GNOS se dici volueret, atque sic ALEXANDRVM, MA-
GNVM salutatum esse sere omnes, qui de ipso loquuntur,
auctorum loci abunde satis testantur. Hoc ipsum autem sa-
lutationis genus in consuetudinem tandem apud diversos
mundi populos abiisse liquet, adeo ut, si dicendum quod res

C

est,

est, hæc ipsa incolarum Ephesinorum vociferatio: ΜΕΓΑΛΗ
Η ΑΡΙΕΜΙΣ ΕΦΕΣΙΩΝ, MAGNA DIANA EPHESIORVM,
nihil aliud videatur, quam quod per illam MAGNÆ
DEÆ sua maiestate atque æstimium tantum testari volue-
rint, perinde ut in vicina atque amula admodum Pergame-
norum urbe tale quoque elogium publica voce AΕSCVLAPI-
O tributum fuit, de quo ARISTIDES: τὸ πολύμαντον δῆτε-
το βεβάτων, μέγας δὲ Ἀσκληπιος, celeberrimum illud clamantium
MAGNVS AΕSCVLAPIVS: aut quemadmodum Romani in
honorem JOVIS frequentissime illam adhibuerunt acclama-
tionem: MAGNVS, imo særissime OPTIMVS MAXIMVS
JUPITER: de quo singulari loquendi apud veteres usi, cui
lubet, præstantissimi duuumviri, EZECHIEL videlicet SPAN-
HEMIVS, d) atque BARNABAS BRISSONIVS, e) consuli ac
conservi merentur.

- a) Geographia Lib. XIV. b) In Commemorationibus, ut ipse
vocat, historicis & antiquitatibus Græciae veteris & Pelopon-
nesi, variis numis inatibus illustratis Lib. II. Cap. II. (prod. Ha-
nov. 1605. fol.) quas haud ita pridem JACOBVS GRONO-
VIVS magno suo thesauro antiquitatum græcarum Tom.
VI. fol. 3577 seqq. inferuit. c) Observationum sacrarum in
vetus atque novum testamentum parte III. num. XXXIX.
edit. Lips. 1716 4. pag. m. 286. d) Dissertationum de præ-
stantia & usu numismatum antiquorum Volumine 2. in quod
relatum est, quicquid pertinet ad illustrationem rerum ro-
manarum, pag. 644. operis ad instar posthumū editum ab
ISAACO VERBVRGIO Amstel. 1717. fol. e) de formulis
& solennibus populi romani verbis Lib. I. pag. m. 47. edit.
Francof. 1592. 4.

VII.

Neque singularis illa, eaque inter Gracos quoque olim usitata DIANÆ EPHESIÆ appellatio, quando ΠΟΛΥΜΑCTON seu MVLTIMAMMIAM eam ulterius, tanquam alma esset mater, quæ uberibus suis totum nutriret genus humatum, nuncuparunt, hoc in loco silentio plane est prætereunda, cum satis constet, ejus effigiem, tum in simulachris, tum in gemmis, statuis &c. hodie adhuc, ut communis fama est, Roma apud ANTONIVM BARBERINVM, Cardinalem, alibi terrarum extantibus, tali forma expressam deprehendi ac videri, eandemque itidem variis in numinis antiquis ita exhiberi & repræsentari, adeo ut, hujus generis nummos porro quod attinet, Theologus ille inter Reformatos & illustri doctrina & fama quam maxime conspicuus, THEODORVS BEZA, a) ad ipsam ἀιλοφῶν & inspectionem hujuscemodi nummi, quorum duos pervertustos, insculptā in alterā nummi parte EPHESINÆ illius DIANÆ ΠΟΑΥΜΑCTOY imagine, oculis suis usurpasse pronunciat, haud vereatur provocare, cui hac in re quam plurimi adhuc rei nummaria veteres & que ac moderni investigatores solertissimi assensum præbent nec denegant, atque fidem suam & auctoritatem in illustria illa duo testimonia tum MARCI MINVCII FELICIS, b) tale proferentis: *DIANA interim est alte succinēta venatrix: & EPHESIA mammis multis & uberibus exstructa:* tum D. HIERONYMI, c) Patrum Ecclesiasticorum longe nobilissimi, illud narrantis: *Scribebat PAVLLVS ad EPHESIOS DIANAM colentes, non hanc venatricem, que arcum tenet, atque succinēta est, sed illam MVLTIMAMMIAM, quam*

C 2

Greci

Graci ΠΟΑΤΜΑCTON vocant, ut scilicet ex ipsa quoque effigie mentiretur, omnium eam bestiarum & videntium esse nutritorem, reponunt atque collocant. Verum omnino mirari subit, quod istorum duumvirorum in medium allata testimonia, adinodum tamen evidenter & clarissima, eruditissimus & rei antiquariorum alias peritissimus vir, PETRVS FABER, d) non tantum in dubium vocare, sed ipsum etiam MARCI MINVCII FELICIS codicem, in quo prius ejus testimonium hic recitatum legitur, mendorum atque corruptionis arguere audeat, atque, dum HIERONYMVS idem cum MARCO MINVCIO FELICE de DIANA statuit, eum exin ejusmodi corrupto MINVCII exemplari usum coque deceptum fuisse expresse assertat, quare audacter nimis atque temerarie, licet de plurimis scriptorum gravissimorum adverba ipsius sententiae saventibus sibi admodum glorietur, comprobare studet, nullam unquam DIANAM ΠΟΑΤΜΑCTON fuisse, & EPHESIAM virginem cultam fuisse, parum aut nihil idcirco prouersus astimans & reputans, quicquid etiam hac in parte pro afferenda MARCI MINVCII FELICIS assertio & hujus rei stabilienda veritate tantorum certe nominum philologi ac critici, & tot lucecenti in eundem interpretes, JOHANNES WOWERIVS, EVERHARDVS ELMENHORSTIVS, DESIDERIVS HERALDVVS, JACOBVS OZVELIVS, NICOLAVS RIGALTIVS, ac denique ipse JACOBVS GRONOVIVS, e) quorum vestigia Abrincensium in Gallia haud ita pridein doctissimus episcopus, PETRVS DANIEL HVETIVS, f) quoque

quoque premit iisdemque adstipulatur, in contrarium affe-
rant ac statuant.

- a) In annotationibus & animadversionibus explicationi suæ tex-
tus novi testamenti subiunctis ad Act. Apostol. Cap. XIX.
v. 24 pag. m. 9r. edit. Parisi. 1565. fol. ubi talem horum
nummorum a se visorum typum subiicit atque insimul ex-
hibet. b) in OCTAVIO edit. superius jam indicatae pag.
207. seqq. c) in proœmio epist. ad Ephesios operum Tom.
VI. Lib. I. fol. 106. d) Semestrium Lib. III. Cap. 3. pag.
m. 50. seqq. edit. Lugd. 1590. 4. e) Demonstrationis
Evangelicae propositione IV. edit. Lips. 1694. 4. pag. m. 249.
f) Qui integras eorundem notas in editione illa MARCI
MINVCII FELICIS aliquoties jamjam laudata summa cum
diligentia collegit.

VIII.

Luculenta autem admodum EPHESINÆ VRBIS
quondam in Asia Minore evasit dignitas, passimque anti-
quissimorum monumentorum fide hinc inde est nobilitata,
utpote quæ ex sententia STEPHANI BYZANTII, a) veter-
is æque grammatici ac geographi insignis, πόλις Ἰωνίας ἐπι-
φερεσάν, clarissima Ionie urbs, CAILI PLINI, b) alterum lu-
men minoris Asie dicta fuit, quamque secundum ARISTI-
DEM, c) τὸ ταμεῖον τὸ κενὸν τῆς Ἀστερού, commune Asie era-
rium & indigentia refugium, atque FLAVIVM JOSE-
PHVM, d) περιτένεσσα τῆς Ἀστερού, principatum Asie obtinens,
salutari legimus. Permagnam vero vetustatis speciem
jam olim hanc urbem venditasse inde est dijudicandum,
quod ab ANDROCHO CODRO, famosissimi Athenien-
sium ducis filio, A. M. 2900. jamjam exædificata à multis

perhibeatur. Succendentibus temporibus metropolis Asiæ proconsularis facta, urbs certe extitit maxima, ac ob magnam quotidie ex omnibus terrarum plagis in eam confluentium copiam, qui negotia sua ac mercaturam ibidem exercabant, finitimarum omnium, quoniam situ opportunissimo gaudebat, exitit longe florentissima, atque amplissimis suis facultatibus, magnitudine ac potentia indies in majus crevit ac caput præ aliis civitatibus efferre ceepit. Bonarum & liberalium artium quoque perquam studiosa fuit, musasque honoravit, fovit & aluit, atque in primis in ea tot tantique viri sapientia ac doctrina multivaria illustres, HERMODORVS, PARMENIDES, ZENO, HERACLITVS, DEMOCRITVS, HIDEPONAX, & innumeri alii, quorum memoria ad seram usque posteritatem est propagata, eminuere. APOLLONIVM TYANÆVM ibidem vixisse, idque laudis atque gloriæ ab EPHESIIS consecutum, ut in honorem ejus statuam erexerint, atque in numerum deorum postmodum retulerint, nonnulli autemant. Magiæ quoque studium & culturam maximo in pretio habuit, ac inter suas quasi delicias depositus & numeravit, adeo ut ob τὰ μεγάλα sua ab ipso scriptore sacro D. LVCA e) observata, nec non ob idololatricum, quem DIANÆ sua præstitit cultum, de quo statim pluribus dicendum erit, meritissimo suo jure reprehensionem ac exprobrationem acerbissimam reportaverit. Tandem ob concilia varia postmodum ibidem habita, inter quæ præprimis concilium Oecumenicum III. anno post Christum natum 431. sub auspiciis imperatoris THEODOSII II. contra NESTORIVM illic convocatum nominandum

dum venit, in amplissimis historiæ ecclesiasticae monumentis non contemnendam nominis celebritatem adepta & consecuta fuit.

- a) De urbibus. b) Historiæ Natural. Lib. V. Cap. XXIX. c) in oratione de concordia. d) Antiquitatum Judaicarum Lib. XIV. Cap. XVII. e) Actuum Apostol, Cap. XIX. v. 19.

IX.

In hac prænobilissima amplissimaque EPHESIO-RVM arte, vel potius extra urbem ad portum, ut scriptores veteri tradunt, septem scilicet stadiis sive octingentis septuaginta quinque passibus ab illa celeberrimum illud ac famigeratissimum MAGNÆ, ut nominabant, DIANÆ EPHESIÆ, ejusque solummodo cultui consecratum templum, splendidissimum æque & augustissimum exstructum extitit, utpote quod magnitudine suâ, impenè, opibus, immunitate, summa Græcorum omnium exterarumque gentium admiratione & consensu inter septem orbis miracula connumeratum, scriptor peretus, PHILO BYZANTIVS, a) MONON ΘΕΩΝ OIKON, κοὶ τὸν Ἑράκλειον τῆς αὐτοεστίας κόσμον ἐπὶ γῆς ἐπεργέδαι, unicum deorum domicilium & celestem immortalitatis decorum in terras demigrasse, appellatare non erubuit. Atquead hanc singularem prorsus istius ædificii excellentiam ARISTOPHANES, b) cui πολυχρυσος θόμος, auro quasi obducta domus dicitur, & SCHOLIASTES GRÆCVS, c) in eundem, nec non DIONYSIUS PERIEGETES, d) μεγίστων ἀρχαῖοι δαιμον, venerandum hominibus miraculum respexisse, digitumque haud obscure intendisse videtur. Omnia optime autem illius præterea admirandam

dam fabricam atque structuram CAJVS PLINIVS SECVN-
DVS, e) delineavit, atque hunc in modum descripsit: Ma-
gnificentia vera extat admiratio templum DIANÆ EPHESIÆ
ducentis viginti annis factum à tota Asia: in solo id palustri
fecere, ne terre motus sentiret, aut hiatus timeret. Rursum
ne in lubrico atque instabili fundamenta tantæ motis locaren-
tur, calcatis ea substravere carbonibus, dein velleribus lane.
Universo templo latitudo est CCCCXXV. pedum, latitudo
CCXX. columnæ CXVII. à singulis regibus facte, sexaginta
pedum altitudine, ex iis XXXVI. celata. Idemque laudatis-
simus AVTOR f) de Materia, ex qua tanta hujus templi
moles fuerit ædificata, sequentia superaddit: Buxum maxi-
me eternamputant, ebenum & cupressum, cedrumque. Cla-
ro de omnibus materiis judicio in templo EPHESIÆ DIANÆ,
utpote cum tota Asia exstруente quadringentis annis sit per-
actum. Convenit tectum ejus fuisse ex cedrinis trabibus.

- a) In elegantissimo illo opusculo de septem olim orbis specta-
culis conscripto, quod fragmentum quoque περὶ τῆς ἐφέ-
σου νοσῆ τῆς Ἀρτεμίδος p. 17. seqq. in se continet, illud au-
tem talium deliciarum amantisimus vir, LEO ALLA-
TIVS, doctissimis suis instructum notis græco-latine Ro-
mæ 1640. 8. primum evulgavit, id quod postmodum à JA-
COBO GRONOVO Thesauro suo Antiquitatum Græca-
rum Tom. VIII. pag. 2646. seqq. illatum conspicitur. b) in
Nubibus Act. I. Sc. 6. v. 598. p. 84. ex edit. græco-latina
omnium præstantissima LVDOLPHI KVSTERI Amstelod.
1710. fol. c) cuius verba ita explicat: πάχευσον δὲ ὅποι
λέγεται, τὸν πολυτελέστατον νόον ὃς ἡμεῖς τῶν ἐπιλαθεμένων.
d) Struxit illé carmen de situ orbis, five-enarrationem
orbis antiquam continens, atque eam versibus hexame-
tris

tris pulchre descriptam tradens, ab AVIENO & PRISCIANO carmen illud latina metaphrasi donatum, ab EVSTATHIO autem prolixis illustratum commentariis & ab alio ANONYMO scholis brevibus grecis ac paraphrasi expositum. Varias id haec tenus vidit & invenit elegantissimas in Anglia præcipue editiones, in quibus v. 829. hæc a nobis adducta verba reperiuntur.
e) Historiæ Natural. Lib. XXXVI. Cap. 14. f) Historiæ Natural. Lib. XVI. Cap. 40.

X.

Et quis est, qui famosissimum itidem illud in hoc ipso templo in honorem MAGNAE EPHESIORVM DIANÆ collocatum positumque simulachrum, velaram sive statuam, ad quod scilicet ab omnibus locis tot remotissimæ gentes confluxere, muneraque sua ac donaria, imo innumera ipsi quotidie sacrificia obtulere, quis inquam est, qui ignorat? Securitatis item gratia magnam pecuniam vim undique in illud templum ac ad ejus simulachrum depositam, imo omnium sere finitimarum gentium thesauros atque gazas congestas suisse testatur DIO CHRYSOSTOMVS a). Nam quemadmodum *hoc propemodum omnibus gentibus commune ac peculiare fuit*, prouti celeberrimus Hamburgensis philologus ac polyhistor, JOANNES ALBERTVS FABRICIVS, b) loquitur, *ut singulis locis ac civitatibus patriis suos & indigetes, municipes, & ryxopes, atque, ut SERVIVS appellat, topicos habent deos, illis peculiariter contendos & eorum tutelares*: ita EPHESIORVM quoque in idolatriam atque superstitionem quam maxime effusa nation gloriari atque majestatem templi sui nimium quantum

D

tum

tum adaugeri posse credebat, modo aram sive statuam MAGNÆ suæ DIANÆ positam, aut simulachrum illud, cui μεγελεστητα summamque ac divinam prorsus auctoritatem conciliare volebat, non humana arte expolitum, sed ΔΙΟΠΕΤΕΣ cœlo divinitus missum seu lapsum arroganter nimis & falsò licet prædicaret, ac eam ob causam undiquaque ab omnibus summa quidem cum veneratione ac religione exciperetur & coleretur; quale quid Romani olim quoque, pro consuetudine ac more veterum hierophantarum & sacrificiorum illius temporis recepto, de ancili & seculo suo in vulgo noto, aliisque rebus originem earundem nescientes prætendebant. Atque eo nomine quoque simulachrum hocce DIANÆ EPHESIÆ, communī omnium existimatione ΔΙΟΠΕΤΕΣ habitum, scriba ille, cuius mentionem divinus LVCAS, c) injicit, macavit & honoravit, atque exin colligendum, quanta laudi urbs EPHESVS sibi duxerit, quod de NEOKOPΟΥ titulo tot vicibus ipsi attributo tantopere gloriari, atque sibi quasi gratulari potuerit.

a) Dissertatione XXXI. pag. 327; b) Bibliographia antiquaria Cap. VIII. Num. XX. pag. m. 260. editionis recentissimæ Hamburgensis 1716. 4. c) Actuum Apostol. Cap. XIX. v. 35.

XI.

Circa primordia autem & prima initia istius templi, atque simulachri hujus ΔΙΟΠΕΤΕΣ dicti, quorum utrumque, ut facile sibi quis persuadere poterit, & ut vulgo fieri solet, successiva temporis splendidiora semper augmenta atque majora iudeas incrementa cepit atque vidit, certi quid

quid statuere ac determinare vix ac ne vix quidem licet,
 cum ipsos auctores vetustos, quando de iis, qui prima &
 templi & simulachri fundamenta jecisse dicuntur, verba fa-
 ciunt, in tot tantasque sententias abire, atque tam diversa
 a se invicem commemorare intelligas, ut quemvis lecto-
 rem post se adhuc in dubio relinquant. A civitatibus
 totius Asie olim templum exstructum, atque jam tum
 SERVII TVLLII temporibus inclytum fuisse ex vulgari
 saltim fama TITVS LIVIVS, a) referre videtur.
 Alii eorumque quamplurimi prima hujus templi initia
 ab ipsis Amazonibus, soeminiis illis quondam fortissimis,
 arcessenda esse fatagunt, ex quorum numero è veteribus
 in primis POMPONIUS MELA, b) PINDARVS, c)
 nec non perobscurus alias fabularum compilator, AV-
 GVSTI Romanorum imperatoris libertus, CAIVS JV-
 LIVS HYGINVS, d) CALLIMACHVS e) item, DIO-
 NYSIUS PERIEGETES, f) CAIVS CORNELIUS
 TACITVS, g) huc transferendi veniunt, quorum
 vestigiis haud pauci ex recentioribus, celeberrimi quon-
 dam nominis inter Gallos medicus ac philologus, PE-
 TRVS PETITVS h) in primis, nec non GERBRAN-
 DVSVAN LEEUVEN, i) Hollandus, verbi divini mini-
 ster, & illustris apud Amstelodamenses schola theologie
 professor, ac famigeratissimus haud ita pridem Angliae
 episcopus, & antiquitatum ecclesiasticarum longe versatis-
 simus vir, GVILIELMVS, CAVEVS, k) insisterunt, atque
 istorum opinioni suum quoque calculum adjicere nulli du-
 bitarunt.

D 2

a) Hi.

-
- a) Historia Romana Lib. I. Cap. XLV. b) de situ orbis Lib. I. Cap. XVII. ita: *In EPHESO DIANÆ clarissimum templum, quod AMAZONES Asia portæ DIANÆ confecrassæ traduntur.* c) apud PAUSANIAM in Achaicis, qui eleganti carmine AMAZONIBUS bellum THESEO inferentibus hoc opus adscriptissæ memorat. d) Fabula 223. hunc in modum: *EPHESI DIANÆ templum, quod fecit AMAZON OTRIRA MARTIS conjux.* Et fabula item 225. *OTRIRA AMAZON MARTIS conjux templum DIANÆ EPHESI prima fecit, quod pustæ reges restituerunt.* e) in Hymno DIANÆ, qui ab ipso ύμνος εἰς Ἀρτεμίη inscribitur, & in quo DIANÆ laudes atque infimul primordia sæpius memorata simulachri ejusdem v. 237. seqq. in hunc modum decantat:

Σοὶ καὶ Αμαζονίδες πολέμου ἐπιθυμήτεσσε
Ἐν πότε παρεργάνη Εφέσε βρέτας ιδύσταντο
Φηγῷ ὑπὸ πρέματο.

Tibi etiam AMAZONES belli affectatrices,
Olim in littore EPHESI statuam posuerunt
Fagino sub trunko.

Ad quæ illustris doctrinæ ac memoriarum vir EZECHIEL SPANHEMIUS in doctrinam suis, quibus hunc ipsum hymnum illustravit, observationibus Tom. II. edit. Traject. ad Rhenum 1697 8. pag. 300. seqq. apprime legendus & consulendum venit. f) Carminis de situ orbis superius jam citato v. 887 ita loquitur:

παρθελίν ἔφεσος, μεγάλην πόλιν τοχεῖσην,
ἔντα θεῖ πότε νηὸν Αμαζονίδες τετύχεντο,
πρέματο ἐν πλεύσει.

Maritimam Ephesi magnam urbem Dianæ,
Ubi Dea ædem quondam Amazonides struxerunt
In trunko stipe ulmi.

g) An-

- g) Annalium Lib. III. Cap. 61, ubi oratio legatorum ab EPHESIIS ad TIBERIUM imperatorem missis exhibetur. h) in elegantissima de AMAZONIBUS illis Dissertatione Cap. XXX. quod de urbe EPHESO & templo EPHESIÆ DIANÆ inscribitur, editionis Amstelodamensis 1687. 8. pag. m. 225. in hanc sententiam descendit: *Mibi probabilitus videtur, initio consecratum ab AMAZONIBUS DIANÆ simulacrum tantum, postea autem & templum illi ab iisdem constructum non in arbo Ulmo, ut DIONYSII verba sonant, sed in ea EPHEST urbis parte quam οὐελέον, hoc est, Ulnum dictam suisse ostendimus.*
 i) In der Erklärung der Geschichte der heiligen Apostel (utor editione hujus libri germanica ex belgico in lingvam nostram vernacularm ab anonymo, qui nomen suum literis tantum initialibus I. C. S. professus est, translata Bremæ 1708. 4.) ad Cap. XIX. p. m. 777. sequentem in modum loquitur: *Der Anfang dessen, wo wir denen Sribenten glauben dürfen, war ansfangs einfältig und geringe, wie es durchgehends mit der Abgötterey zu zugehen pfleget. Die Amazonen sollen zuerst ein aus Holz geschnitztes Bild der DIANÆ, nicht weit von dem Orte, wo hernach ein Tempel vor sie erbauet worden, unter einem Buchbaum aufgerichtet haben, um selbe göttlich zu verehren.* k) In den Lebens-Beschreibungen der heiligen Apostel edit, Lips.---4. p. m. 378.

XII.

Nec minore certe difficultate, aut, si verum satendum, haud exigua incertitudine laborare videntur illa veterum auctorum loca, quæ nomina architectorum atque directorum hujus ædificii, quorum auspiciis, consiliis, duetu & opera illustrissimum hocce templum ex primis suis

D 3

fun.

fundamentis suscitatum ac erectum fuerit, commemorant.
PAVSANIAS a) CROESO euidam indigenæ, ac EPHE-
SO CAYSTRI scilicet fluminis filio hujus operis laudem
tribuit. VITRUVIUS b) CTESIPHONTI seu CHRE-
SIPHONTI juxta veteres libros, GNOSSIO & filio ejus
METAGENI adscribit & adjudicat. STRABONI c)
CTESIPHON, CHERSIPHRON item, & mox AR-
CHIPHRON audit, atque ab hoc CTESIPHONTE,
CHERSIPHROME aut CRESIPHONTE primum illud
exstructum asserit. CAJVS PLINIVS SECUNDVS d)
quidem talem de auctore illius sententiam profert: *Ope-
ri prefuit CHERSIPHON architectus.* Sed rursus in alio
loco e) eo contradicere viderit, quod CTESIPHON-
TEM vel juxta antiquos Codices CHRESIPHONTEM
appellet.

- a) In Achaicis Lib. VII. b) de Architecturâ Lib. VII. &
Lib. X. Cap. VI. & VII. c) Geographia Lib. XIV. d) Hi-
storiæ naturalis Lib. XXXVI. Cap. XIV. e) Historia
naturalis itidem Lib. VII. Cap. XXXVII.

XIII.

Istam autem felicitatem, quâ EPHESII partim ob
templum haec tenus à nobis explicatum, partim ob ipsum
etiam DIANÆ simulachrum separatim in illo exstructum
opinione sua fruebantur, invidis quasi oculis adspicisse vi-
detur obscurus ille homo, vanus ceteroquin atque stolidus,
HEROSTRATVS, qui, ut illos eâ privaret, pessimum
animo suo consilium inivit, cum de totali ejus per incen-
dium deletione atque ruina secum cogitaret, ex mente
VA.

VALERII MAXIMI, a) solā fama & gloriæ exin adipsenda cupiditate eo adductus, cuius memorabilia satis de hac illaudabili gloriæ cupiditate sunt verba, quæ hujus de ea sunt tenoris: *Illa vero gloriæ cupiditas, sacrilega: inventus est enim, qui DIANÆ EPHESIÆ templum incendere vellet, ut opere pulcherrimo consumpto, nomen ejus per totum terrarum orbem differeretur. Quem quidem mentis furorem aculeo impositus dextet. si bene confutuerant EPHESI, decreto memoriam tetricam hominis abolendo; nisi THEOPOMPVS magnæ facundia ingenium in historiis eum suis comprehendisset.* Et meruit fane nequissimus ille homuncio execrando isto atque detestabili facinore, ut teste AVLO GELIO b) communi Asia concilio quondam fuerit decretum, ne quis ullo in tempore nomen ejus nominaret. Nihilominus tamen nefaria ejus manu accusu templum istud excellentissimum, quod ut tam perfectum, elegans atque elaboratum opus, imo omnium existimatione eo tempore totius terrarum orbis miraculum judicabatur, Olympiade CVI. i. die VI. Hecatombaonis, & quidem ea nocte, qua ALEXANDRVM MAGNUM natum fuisse scriptores reserunt, incensum fuisse perhibetur. Atque hac occasione illud obiter annotandum venir, inter ipsos gentiles jamjam multos extitisse, qui deos suos corundemque sacra contempnui habuerunt, iisdemque non leviter illuserunt, cuius rei illustrer exemplum adducit MARCVS TVLLIUS CICERO, c) quando de TIMÆO, historico veteri haud incelebri pronunciat: *Concinne ut multa TIMÆVS: qui cum in historia dixisset, qua nocte natus ALEXANDER esset, eadem DIANÆ EPHESIÆ tem- plum*

plumb deflagravisse, adjunxit, minime id esse mirandum, quod
 DIANA, cum in partu OLYMPIADIS adesse voluisse, &
 abfuisse domo: Quod ipsum dicterium a CICERONE
 citato loco TIMÆO adscriptum PLVTARCHVS
 d) contra HEGESIAE MAGNESIO, historico itidem
 quondam notissimo his verbis adjudicat: Cum audif-
 set (scilicet HEGESIAS MAGNESIVS) die illo, quo
 DIANÆ EPHESIAE templum conflagraverit, natum
 fuisse ALEXANDRVM, exclamasse, domo abfuisse
 DIANAM, quod in partu OLYMPIADIS adesse volui-
 set. Cuinam vero ex rei veritate dictum istud sit ad-
 scribendum, certo affirmari non potest; ex eo tamen
 satis superque innoteſcit, uti scriptores existimant,
 CICERONEM ipsum, dum concinnum illud
 citato loco appellat, illud approbasse videri, cum vice
 versa PLVTARCHVS illam HEGESIAE exclama-
 tionem plane reprehenderit, & rejecerit, eamque ita
 frigidam esse existimaverit, ut vel sola ad ipsum hujus
 templi incendium restingvendum sufficere potuisset.
 Atque exin cognoscitur, firmo niti talo ingeniosissimum
 æque atque acutissimum profecto AVRELII THEO-
 DOSII MACROBII e) judicium, quo diversissi-
 mum longe & CICERONIS & PLVTARCHI à
 se invicem animi characterem omnium optime hunc
 in modum expressit: CICERO, ut homo erat venustus,
 & ἐπειπόνεος & facetus, amavit ingenii eo ex dicto
 relucentis elegantiam: PLVTARCHVS vero, utpote
 severioris superciliis Philosophus, moribus gravibus &
 ad severitatem compositis turpem illam aſſentationem
 impro-

improbavit. Universam autem illorum dictorum historiam, cui volupe & datum fuerit prolixius descrip- tam introspicere, is adeat velim atque consulat incomparabilem virum, atque ipsum insimul accuratis- sum historicæ veritatis judicem, GERHARDVM JOHANNEM VOSSIVM, f) qui argumentum hocce non solum fusius deduxit, sed solidissime etiam pro mo- re suo excusfit.

- a) Lib. VII. Cap. XIV. b) Noctium Atticarum Lib. II. Cap. VI. edit. Amstelodamenf. 1665. 12. pag. m. 47.
 c) de natura deorum Lib. II. d) in vita ALEXAN-
 DRI Lib. I. e) Saturnaliorum Lib. II. Cap. III. pag.
 266. seqq. editionis superius laudatae. f) De Hislo-
 rics Græcis Lib. I. Cap. XII. Operum Tom. IV. pag.
 80. seqq.

XIV.

Neutiquam tamen est existimandum, tam admi-
 rabilem ornatissimi istius templi structuram nefando
 HEROSTRATI conatu incendio totam subrutam, aut
 conflagrassæ prorsus, & in cineres penitus redactam
 fuisse, & quidem ita, ut & primi adeo operis & archi-
 tecti, qui ei præfuerat, laus & industria hominum con-
 spectui plane sese subtraxisset. Sed licet ipse ALE-
 XANDER MACEDO istam DIANÆ EPHESINÆ
 ædem iterum suis sumptibus erigere vellet, atque præ-
 ter solam restituti istius à se templi gloriam & famam
 nihil amplius ab EPHESIIS peteret, & sibi concedi de-
 sideraret, id ipsum tamen ab iis impetrare non potuit;

E ipsumnet

ipsimet enim tanta in DEAM suam religione atque
 veneratione incitati propriis suis hinc inde collatis
 & congestis facultatibus, ac privatis quidem opibus
 & impensis illud iterum restaurare coeperunt, ut teste
 STRABONE a) luculento satis & fide digno alias
 scriptore *illa flamma extitisse videretur, non que
 deleret DIANÆ templum, sed que praelarius atque
 magnificentius adhuc alind sibi deposceret.* His
 igitur curis atque sollicititudinibus cum EPHESII quam
 maxime intenti essent, undenam locorum egregium
 atque eximium quandam architectum, cui istius tem-
 pli restaurationem & fabricam tuto demandare poslent,
 evocarent, ex ALEXANDRIA tandem DINOCRA-
 TEM, summum tum temporis in arte architectonica
 magistrum ad se accerferunt; atque sic DINOCRA-
 TES fuit idem ille Architectus, qui ex testimonio CAII
 JVLI SOLINI b) metatus est ALEXANDRO condente in
 AEGYPTO ALEXANDRIAM: de quo, ut jamjam alias
 scriptores honorificam satis ejus mentionem facientes
 taceam, idem SOLINVS c) ulterius commemorat:
*Cum id templum postmodum ad cultum augustiorem
 EPHESII reformarent, faber operi DINOCRATES pre-
 fuit.* Imo aliunde satis constat, ipsum alia adhuc mi-
 randa artis opera, qua nomen DINOCRATICVM se-
 rae commendarunt posteritati, consecuisse, & in iis effici-
 endis singulare quid praestitisse: hujus autem loci non
 est, aut tempus permittit, ut pluribus eadem edifferen-
 tur & exponantur. Id adhuc de eodem annotari me-
 retur, ejus itidem nomen non uno semper efferti te-
 nore

nore a scriptoribus, mirumque eorundem passim in hujus nominis expressione deprehendi dissensum, adeo ut quidam eum STASICRATEM, quidam CHEIROMOCRATTEM vel CHIROMOCRATTEM, alii DIOCLEM, rufus alii DINOCAREM, & adhuc alii CLEOMENEM appellare soleant, quam insignem certe nominis differentiam ac discrepantiam illustris famæ & memoria criticus, CLAVDIVS SALMASIVS, d) nec non celeberrimus, & in societate Jesu apud Parisienses hodiernum adhuc superstes presbyter, quique inter hodiernos criticos, Gallos nimurum principis ad instar titulum affectat, JOANNES HARDVINVS, e) notarunt ac dilucidarunt.

- a) Geographiæ Lib. XIV. b) Polyhistoris Cap. XXXII. pag. 44. c) Polyhistoris Cap. XL. pag. 50. edit. Traiecti ad Rhenum 1689. fol. d) Plinianarum exercitatio-
num in CAII IULII SOLINI Polyhistora Cap. XL. pag. 571. edit. Traiecti ad Rhenum 1689. fol. ubi prolixissime in illa nomina inquirit. e) ad CAII PLINII SECVNDI historiam naturalem Lib. V. Cap. XI. Tom. I. pag. 561. & Lib. VII. Cap. XXXVIII. Tom. II. pag. 59. edit. Parif. 1685. 4. maj. Tom. V. nitidissimis typis constantis, omniumque præstantissime ac absolutissimæ, quam interpretatione & notis suis doctissimis ulterius illustratam iussu LUDOVICI XIV. Christianissimi quondam Galliarum Regis in usum Serenissimi Delphini ac reipublicæ literariæ emolumumentum evulgavit.

Diu autem admodum crassissima ista supersticio altis nimirum jamjam radicibus subnixa habuit, nec ullo unquam tempore aut opera extirpari adeo facile passa fuit, atque, modo scriptoribus antiquis tuto hac in re adhibenda sit fides, plus mille annis ante reparata in per CHRISTVM generi humano salutem hanc idolatria, DIANÆ sacra faciendi cultumque prorsus divinum ipsi exhibendi, EPHESIORVM occupavit mentes, animosque eorum hinc inde transversos egit, donec, quid quemque deceat & qua mente summum illud ens, DEVVM verum & unicum, hujusque universi moderatorem venerari oporteat, noscitare inciperent, cum PAVLLVS TIMOTHEO alisque asseclis & sociis fidelissimis stipatus urbem hanc quoque adiret, ejusque incolas & pietate & doctrina christiana imbueret, quo ipso EPHESII adeo felices redditi sunt, ut sacerdos quasi oestro perciti, novoque lumine illustrati DIANAM suam abjicerent, & simulachrum quoque ejus, quod ut de celo lapsum vanis antea persvasionibus decepti in honore atque pretio tam diu habuerant, de se de sua deturbarent, atque sic verum divini numinis cultum religioneque sectarentur, ipsumque salutis humanae restauratorem veneratione prosequerentur, eique uni duntaxat ac veræ religioni plene fese addicerent. Atque sic tandem tanta hujus templi & simulachri insimul gloria paullatim expiravit atque periit. Nam tempulum istud antea inter ipsos famosissimum temporibus GALLIENI a Gothis direptum funditus deslagravit, & nun-

nunquam posthac ē cineribus suis surrexit, quamvis id laudatissimo viro, THOMÆ SMITHO, a) in frontispicio statim hujus dissertationis adducto, nostra opinione de facili sit concedendum, cum ipfi, ut ejus verba se habent, *verisimile videatur illius templi fundamentis ecclesiam Christianos inadiscisse*, quam in suo itinere ibidem constitutus intraverit, ejusque plurima antiquitatis rudera illic adhuc residua, quæ prolixissime citato loco describit, contemplatus fuerit atque perspexerit.

a) in libro de notitia septem Asie Minoris Ecclesiarum pag. m. 156. edit. Oxoniensi. 1674 8.

XVI.

Animus quoque erat ad ipsa MAGNÆ EPHESIORVM DIANÆ specialiora atque intimiora sacra progredi, deque sacrificiis & muneribus ipfi exhiberi solitis, de peculiaribus vovendi ceremoniis, de facerdotibus evnuchis, & de asylo hujus templi ejusque jure, aliisque plane singularibus prærogativis, privilegiis ac immunitatibus impræsentiarum verba facere. Verum enim vero, ne limites atque fines, quos probe novi, hac in re & mihi præscriptos data opera transiliisse videar, religioni mihi omnino duco ista longius protrahere, quam ob causam quoque hic filum abrumpo, nihilominus tamen omnem navabo operam, ut ea, quæ ad illustrationem ultiorem hujus materiae, ut paulo ante indicavi, aliquid conferunt, Deo volente, propediem hisce superaddere

E 3

queam.

queam. DEO interim OPTIMO MAXIMO pro præfito suo hoc in negotio & opera mihi auxilio singulari
devotissimas semper nuncupo laudes, ac immortales æternasque
ago habeoque gratias: te quoque præterea, LE-
CTOR BENEVOLE, ea, qua decet, animi observantia
iterum iterumque rogito atque contendo, ut in me-
dium allata pro æquanimitate tua æqui bonique consu-
las, & si forsitan in hac, historicâ maxime & dubia admodum,
re me errasse deprehendas, nos omnes homines esse
cogites adeoque ab erroribus haud immunes
aut alienos esse velim existimes.

T A N T V M .



CO-

COROLLARIA.

I.

Temerarium nimis videtur, de omnibus dubitare velle.

II.

Ludi scenici, si non sunt obsceni, possunt haberi.

III.

Non multorum, sed multa lectio firmat mentem humanam.

IV.

Reipublicæ literariæ interest, ARISTOTELIS, PLATONIS aliorumque antiquorum philosophia, licet interdum aliquid humani patiatur, non in totum negligatur.

V.

Ipsos met gentilium prudentiores olim cultum deorum suorum dearumve superstitiosum ac idololatricum contemptui habuisse, & irrisisse, ex quamplurimis corundem scriptis comprobare haud est difficile.

VI.

VI.

Nec adeo improbabile videtur, DEVVM gentiles idola sua aut contemnentes imo interdum violantes punivisse.

VII.

Inter absentes quoque servari potest amicitia.

VIII.

Invenit animus etiam inter paupertatis angustias liberalitatis materiam *SENECA de beneficiis Lib. I. Cap. IX.*

IX.

Nam qui multa dat & qui pauca dat, liberis est.

X.

Opinio de gente AMAZONVM non omnino ex vano hausta videtur.




01 A 6633




3

Sb.

DA





N. 9.

B. C. D.

MAGNAM EPHESIORVM DIANAM

ACTOR. APOSTOL. XIX. 28. & 34.


SVFFRAGIO SVPERIORVM
PRO LOCO

RITV. ANTIQVO OBTINENDO

DIE III. MAI A.R.S. CLB CC XVIII.

P. P.

M. IOAN. CHRISTIANVS POLCKE,
VRATISLAVIENSIS.



LIPSIAE,
EXSCRIPSIT IMMANUEL TITIVS.

